

Dei a magna, quam inde patitur, ignominia liberet. Quia scilicet cum omnes sive antiquas, sive modernas hæreses usque ad nostra tempora res pondendo confutaverit, huic soli, quæ super omnes alias tam in corporibus quam in animabus infinitam humani generis ruinam dedit, non solum nihil respondit, sed nec quid tanta pestis esset, aut unde processerit, inquirere saltem vel tenuiter studuit. Nam et hæc tota causa fuit, qua ego Petrus sanctæ Cluniacensis Ecclesiæ minimus abbas, cum in Hispaniis pro visitatione locorum nostrorum, quæ ibi sunt, demorarer, magno studio et impensis totam impiam sectam, ejusque pessimi inventoris exsecrabilem vitam de Arabico in Lati-

num transferri, ac denudatam ad nostrorum notitiam venire feci, ut quam suspecta et frivola hæresis esset, sciretur, et aliquis Dei servus ad eam scripto refellendam sancto inflammante Spiritu incitaretur. Quod quia, proh dolor! jam pene hujusmodi studiorum sanctorum ubique in Ecclesia tepefacto fervore, non est qui faciat (expectavi enim diu, et non fuit qui aperiret os, et zelo sanctæ Christianitatis moveret pennam et ganniret); ego ipse, saltem si magnæ occupationes meæ permiserint, quandoque id aggredi, Domino adjuvante, proposui. Simpliciter tamen, a quocunque altero melius quam a me deterius, hæc fieri gratum haberem.

ROBERTI RETENENSIS

PRÆFATIO

IN LIBRO LEGIS SARACENORUM, QUAM ALCORAN VOCANT, A SE TRANSLATO.

Ad domnum PETRUM abbatem Cluniacensem.

Domino suo PETRO divino instinctu Cluniacensi C abbati, ROBERTUS Retenensis suorum minimus, in Deo perfecte gaudere.

Ubi sæpius atque serio [sero] percepi, qualiter quantumve tuus animus solius et totius boni studiosus sitivit sterilem paludem Saracenæ sectæ nondum visæ fertilem efficere, suumque puteum exhaurire, propugnaculaque prorsus diruere, ego peditis tantum officio prævii functus, vias et aditus diligentissime patefecit. Quis enim gressum dilatabit? Quis non citissime curret, ut hostis errorem, ipsumque victum, semetipsum autem tenere sententiam ubique firmam atque victricem agnoscat? Latinitas tamen omnis huc usque, non dicam perniciosis incommodis ignorantia negligentive pressa, suorum hostium causam et ignorare D et non depellere passa est. Tua vero pervigil providentia, sanctissimos et præelectos Ecclesiæ doctores semper aspiciens, hoc nullatenus noluit. Cum illum itaque Patrem atque doctorem, ejus omnis hæreditas omni pro sua facultate venalis statuitur, ut discipulus atque filius imiteris, nusquam alias reflexus, speravi me, licet omnium tuorum minimum, tuam gratiam promereri posse, si mundani somnii militiæque voto postposito, tuis studiose nutibus invigilarem. Unde quanquam te velut alumnum, et hæredem sapientiæ cohors sapientium circumflua constipet, suas manus tuis nutibus benigne conferens. quorum conventu me minime dignum adhuc sentio, vestrum tamen munusculum, puteum præsignatum pandens, saltem

semel non oblique tuus perspicax intuitus, quæso, dignetur aspicere. Quanquam enim in effragili fulcitum ingeniolo plura præcesserunt incommoda, tum hinc eloquii penuria, illinc scientiæ tenuitas, tum id quod [ad nil agendum est efficacius, socordia videlicet negligentiaque mater desperatio, multiplex ob translationis nostræ vilem et dissolubilem ac incompaginatam materiam, pro sui modo prorsus, Arabico tantum semoto velamine, tuæ majestati præbendam, non minus tamen obnixè tuum obsequium aggressus sum, confusus nil effectum quassari, quo tuum votum igne divino plenum aspirat. Lapidem igitur et ligna, ut tuum deinde pulcherrimum, et commodissimum ædificium coagmentatum et indissolubile surgat, nil excerpens, nil sensibiliter, nisi propter intelligentiam tantum, alterans, attuli, Machumetique fumum, ad ipsius tuis follibus extinctum, et puteum ad illius exhaustum tuo vase, ignisque vestri tuo ventilabro fomentum atque fervorem, nostrique fontis eductu tuo discursum, patefecit. Jus igitur exigit ut hostium castrum, imò caveam delendo, puteum exsiccando, cum tu sis dextra mundi pars optima, cos religionis acutissima, charitatis manus largiflua, tuorum munimen corrobore, tela diligenter acuas, fontemque suum fortius emanare, suæque charitatis vallum protensius atque capacius efficias. Si quis me utilitatis et incompositionis rerum atque verborum arguat, licet juste forsitan, obsecro tamen, ut cesset, sciens meum nunquam hic fuisse propositum floribus venenum tegere, remque vilem et abiicien-

dam deaurare. Quod et animi tui lux admirabilis, mira fecundia pollens, manu fortissima vicens, mihi inde sæpius et studiose deliberanti, summamque dicere volenti clarificavit. Lex tamen ista, licet lethifera multis in locis, maximum testimonium, argumentumque firmissimum sanctitatis et excellentiæ nostræ legis, videntibus et electis præbet. Istud quidem tuam minimè latuit sapientiam, quæ me compulit interim astronomiæ geometriæque studium meum principale prætermittere. Sed ne

A procœmium fastidium generet ipsi finem impono, tibi que cœlesti, cœlum omne penetranti, cœlestem munus voveo, quod integritatem in se scientiæ complectitur. Quæ secundum numerum, et proportionem atque mensuram cœlestes circulos omnes et eorum quantitates et ordines et habitudines, demum stellarum motus omnimodos, et earundem effectus atque naturas, et hujusmodi cætera diligentissime diligentibus aperit, nunc probabilibus, nonnunquam necessariis argumentis innitens.

Totam ipsam Alcorani translationem hic attexere superfluum. Confutavit eam et ipse Petrus Venerabilis libris sequentibus.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

ADVERSUS NEFANDAM SECTAM SARACENORUM

LIBRI DUO.

(Edidit D. MARTÈNE, *Ampl. Collect.* t. IX, col. 1119, ex manuscripto codice Aquicinctensi, auctoris ævo conscripto.)

BSERVATIO PRÆVIA.

Ea est celeberrimi Cluniacensis monasterii prærogativa, ut primos omnes abbates et scientia et sanctitate illustres habuerit, quorum exemplo, non minus quam industria et zelo, per ducentos circiter annos integra in eo illibataque viguit regularis disciplinæ observatio. Primus ab ea deflexit qui S. Hugoni successerat Pontius abbas: at qui ipsi suffectus est Petrus Mauritius, vulgo Venerabilis dictus, vir natalium splendore, doctrina et pietate vix cæteris impar, inflicta ab eo ruinas statim reparare curavit. Nec solum ordinis monastici, sed ipsas etiam Ecclesiæ maculas delere sollicitus, præcipuos ejus hostes eruditissimis scriptis strenuissime impugnavit. Nam et Judæos singulari libro confutavit, ætatis suæ hæreticos prostravit scripto adversus Petrobrusianos egregio tractatu. Sed nec insensissimos Christiani nominis adversarios, Mahumetanos dictos, reliquit intactos. Eapropter anno 1141 profectus in Hispaniam, omnem adhibuit curam, ut lex ipsorum (Alchoranum vulgo appellant), Latînam converteretur in linguam, advocatis ad hoc negotium tribus Arabicæ linguæ peritissimis viris, Roberto Kecenensi, Armanno Dalmata et Petro Toletano, quibus, ut versio ipsa omnibus esset numeris absoluta, quartum addidit Saracenum, Mahumet nomine, utpote patriæ linguæ magis gnarum, nullis omnino pecuniarum expensis parcens. Et quia minus familiaris erat illis lingua Latîna, dedit etiam eis adiutorem doctum virum, dilectum filium et fratrem Petrum notarium suum, quem idem esse existimo cum Petro Pictavino, cujus hic in limine quatuor librorum habes capitula.

Reverso in Gallias venerabili abbati præcipua fuit sollicitudo procuratam a se translationem ad summum amicam suam S. Bernardum transmittendi, ut ad scribendum contra tam perniciosum errorem collatam ei divinitus doctrinæ magnificentiam animaret. Petri epistolam, anno 1143 datam, habes in Bibliotheca Cluniacensi, pag. 1109; Bernardi ad eam responsum hactenus desideravimus. Sed neque aliquid unquam, eo de argumento, ab illo tractatum fuisse apparet, relicta abbati Cluniacensi hac provincia. Igitur morem illum Patrum secutus, quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam hæresim silendo præterierunt, quin ei totis fidei viribus resisterent, et scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent, egregium opus aggressus est, cujus capitula librorum quatuor ipsi præstituerat Petrus Pictavinus, tametsi iis se minime passus est astringi. Totam Petri Venerabilis lucubrationem libris quinque distinctam fuisse asserit Andreas Quercetanus, eosque plurimum a se perquisitos nequaquam reperiri potuisse dolet. Nos eo paulo feliciores adeo desiderati operis duos priores libros offendimus in pervetusto codice Aquicinctensi auctoris ævo eleganter exarato, ubi exstant ad calcem epistolarum ejus: quos interim, dum reliqui possint reperiri, eruditissimis lectoribus hic exhibemus.